

genſi, & Petro Drefdenſi, ob hærefin exulare juſſo. Hic cùm Chriſti fanguinem ſub vini quoque ſpecie ab Laicis ſumendum eſſe docuiſſet, in errorem induxit longè plurimos, vini quam fanguinis Chriſti appetentiores, utpote quem ſub unica panis ſpecie orthodoxi, rebelles contrà Eccleſiæ filii ſub neutra ſumunt, ſed Chriſtum totum ejusque gratiam prorfus amittunt; *quandoquidem, S. Auguſtino teſte, neque Fides, neque Sacramenta in Eccleſia unitate perſiſtentibus, ſunt ſalutaria.* Hærefiarcha Huſſius, DEO Eccleſiæ, & Cæſari rebellis A. 1415. annoque ſequenti Hieronymus Pragenſis Conſtantiæ vivus eſt combuſtus. Quæ porrò ſectarii fictè, pro more ſuo, & contumelioſè de fide publica Huſſio à Cæſare data violatæque, de olore item anſerem Huſſiticum poſt annos centum ſubſecuturo, paſſim ſparſere in vulgus, germani, hoc eſt ſynceræ & antiquæ fidei ſcriptores pridem confutârunt.

6. Quæ celebrata Concilia?

1. Oecumenicum XVI. A. 1438. Ferrariæ inchoatum quidem, ſed peſte ibidem graſſante Florentiam, unde & appellationem traxit, translatum eſt. Præſedit huic ipſe Pontifex Eugenius IV. præſentibus centum quinquaginta Epiſcopis cum Patriarcha Conſtantinopolitano & Imperatore Græco Joanne Palæologo, ubi orthodoxa Eccleſiæ Latine doctrina contra Græcorum errores denuò conſtabilita eſt. 2. In Concilio Conſtantiensi damnatæ Wicleſſi & Huſſii hæreſes; non tamen, uti Galli quidam opinantur, definitum eſt, Concilium eſſe ſuprà Papam: nam decreta Sæſſionis IV. & V. non niſi